obligatam. Ulp.

Item liberatur pignus sive solutione debitum sive eo nomine satisfactum est. Sed et si tempus finitum pignoris est, item dicere debemus si qua ratione obligatio eius finita est. Cum paratus est solvere invito pignore videtur liberasse, qui non solvit sed satisfacere paratus est. In diversa causa est. Ergo satisfecisse potest, quod sibi imputare debet creditor qui satisfactionem admisit vice solutionis; at qui non admittit satisfactionem, solutionem desiderat, culpandus non est. In satisdatione autem non utimur antiqua sententia, qui putabat si satisdetur alicui certe pecuniae recte eum a pignore liberari. Gaius.

Si consensit venditioni creditor liberatur hypotheca. Sed in his pupilli consensus non debet aliter ratus haberi quam si presente tutore auctore consenserit, vel ipse tutor si commodi aliquid ut satis ei fieret eo nomine existimaverit. Videbimus si procurator omnium bonorum consensit vel suus actor cui et solvi potest et in id propositus est, an teneat consensus eorum. Et dicendum est non posse, nisi specialiter hoc eis mandatum est. Sed si cum debitoris procuratore convenit ne sit res obligata, dicendum est id debitori per doli exceptionem prodesse. Cum autem tecum super eo convenit, pro sua parte exceptionem conventi debet prodesse. Si convenerit de parte pro indiviso alienanda, si certa res est que venit, potest dici de reliqua parte ab initio agi oportere, nec obstat exceptio. Illud tenendum est si quis communis rei partem pro diviso dederit hypothece, divisione facta cum socio non utique eam partem creditori obligatam esse que ei obtingit qui pignori dedit, sed utriusque pars pro indiviso pro parte dimidia manebit obligata. Marcianus.

Sicut re corporali extincta et usufructu extincto pignus hypotheca perit. Creditor ne pignori hypotheceve sit res pacisci potest, et [illegible]

Si heredi pactus fuit, ei quoque proderit pactum cui restituitur hereditas ex senatusconsulto Trebelliano. Si procurator debitoris in rem suam sit, non puto dubitari debere quin pactum noceat creditori. Idemque et si a parte creditoris procurator in rem suam extitit, paciscendo inutilem sibi faciet ypotecariam actionem, intantum ut putem recte dici et dominis litis hoc casu nocere hanc exceptionem. Si convenerit ne pars dimidia pro indiviso pignori sit, quamvis fundi pars eius a quolibet possessore petatur, dimidia non recte petitur. Si plures dederint pro indiviso et cum uno creditor paciscatur ne ypotece sit, deinde petat etiam ab eo cum quo pactus est solidum fundum possideat pro indiviso, quod de parte convenisset non repellit eum a toto. An pacisci possunt filius familias et servus ne res pignori sit, quam peculiariter in ypotecam acceperunt et habent liberam administrationem, videamus. Quemadmodum donare non possunt, ita nec pacisci ne pignori sit possunt. Sed dicendum est ut concedere possint, si pretium actione accipiant qui vendant. Si voluntate creditoris fundus alienatus est, inverecunde applicari sibi eum creditor desiderat, si tamen effectu sit secuta venditio. Nam si non venierit, non est satis ad repellendum creditorem quod voluit venire. Si cum pactum est creditorem agrum specialiter ypothece datum permissu creditoris [illegible] diderit, deinde postea bona fide [illegible] derit ab eodem vel ab alio ad quem per successionem ea res pertinere cepisset, aut si ipse debitor emptori heres extiterit, venditionem cum pecunia soluta non sit doli mali suspicione [illegible] lata ad presens tempus ut possit creditor replicationem doli mali obicere. Illud videamus si citius debitor voluntate creditoris sui vendiderit [illegible] ei a quo [illegible] emit